

327



210/53

57-100



SLUB

Wir führen Wissen.

<http://digital.slub-dresden.de/id44893471X/2>



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK

Quod
DEO rerum nostrarum arbitro
ita visum est,

*Nobilissimus, Amplissimus, Spectatissima
dignitatis atq; prudentia Vir*

DN. GEORGIUS Endermann/Gorl. J.C.

& apud inclytam patriam Rempubl.

Consularis per annos aliquam multos
meritissimus,

Conjugi suæ, cordis sui delitio

D O R O T H E Æ

ex nobili & antiqua SCHMIDIORUM

familia feliciter prognatæ,

Matronæ virtutibus sequiorem sexum vere

exornantibus cumulatissimè dotatæ

inter sancta suorum suspiria

XXIV. Octobr.

An. clc lcc LIX.

Piè in Christo denata,

sacrum funebre

11. Novembr.


Non sine denicalibus

lacrymis parat.

Typis Gorlicens. CHRISTOPHORI ZIPPERI.

DN 9046105

Ad
Nobiliss. Amplissimumq.
DN. Endermann.

 Uti te nunc urget, *Vir Consultissime*, lu-
ctus

Ex morte Conjugis tuæ *svavissimæ*,
Arguar absurdi, si injustum dixero: quippe
A conjugē exigit fides quem præstita.

Id tantum exposco: Caveas, ne pectus acerbo
Nimium dolore lancines forsan tuum.

Hac finē accipias; quod quondam sua sit amico
Magni SOLONIS ardua eloquentia

Mecū arcē, ajebat, conscende, & lumine quot-
Huic subjacent ædes, obito sedulo: (quot

Non certe ex illis tibi se offeret ulla, doloris
Quæ senserit nil, sentiat, vel sentiet.

Ergo age, ne quæ homini mala sunt communia
lugens

Sic defleas, ceu sint tibi uni propria.

*Observ. συμπαθείας ergo
testanda scrib.*

DAVID VECHNERUS.

Non

Non dolor exiguus, quando violentia Mortis
Dissolvit sanctâ corcula nexa fide.
Testis erit Consul nostrâ præclarus in urbe,
Cui costam charam Mors fremebunda tulit.
Unde dolor magnus viduum cor pungit & angit:
Dum quasi dissectum se sine fine putat.
Est equidem, fateor, dolor: aſt si gaudia cœli
Mens pia perpendit, tollitur iste dolor.
Nam dolor exiguo duntaxat tempore durat:
Cœli perpetuo gaudia flore vigent.
Transeat ergò dolor, quia jam Tua chara marita
Vivit, & in cœlo gaudia magna capit.
Gaudia, que faciunt nunquam meminisse doloris:
Cujus & ipse Deus dememinisse jubet.

DANIEL Bant.

Psalm. 77. v. 11.

Die Rechte Hand des Höchsten kan alles ändern.

Aspera, si nequeant mutari, Consulis olim
Romani, placide ferre, levamen erat.
Aspera quod possit DEUS immutare, ferenti
Per Christum robur grandius hocce dabit.

A 2

Nam

Nā quisquis *Dextram mutantem* fata moratur:
ENDERMANNIDEN verum agit, optat, habet.

M. CHRISTOPHORUS SEIFERTUS.

E*T* *vite & curæ sociâ sic ergo carebis*
ENDERMANNE, *Tua Conjuge, parte Tui!*
Ex hoc immundo mundo dum reddita pulvis
Transiit ad patriæ munda theatra domus:
Jam sine tristitia vivit, jam sorde soluta
Mundi, cum Christo vivit in arce poli:
Gaudia ubi sine tristitiâ, sine funere vita,
Et sine fraude fides, & sine nocte dies.

Condolens f.

M. CHRISTOPH HASSFURD.

Quis justî non justa Dei probet omnia? justus
Immittit nobis non nisi justa Deus.
Dura quidem, quæ nos cruciant, & acerba videntur:
Divinæ sed sunt consona Justitiæ.
Sic Dos, ENDERMANNE, Dei, Tibi credita Conjux
Abs Te discedit, SCHMIDIA DOROTHEA:
Jussu nempe Dei. repetit sua dona Jehovæ
A nobis, eadem restituenda, manus.

O fe-

O felix nimium discessio! vivere, felix,
Cui datur, æternùm restituiq; suis!

*Observantia ac testandi adfectus
causâ appos.*

ANDREAS THESEUS.

Tristaris meritò, mibi suspiciende Patrone,
Nam moritur Conjux. Quæ Tibi chara, jacet!
Nunc comes in dubiis, nunc Cor tibi cordis ademptum!
Jam (dolor!) orbatus compare Turtur abis.
Quis potis est, sanctum, quis vult culpâre dolorem?
Est etenim, credo, Conjugis acer amor.
Donum,* Costa, fuit DIUM; solamen in arctis; *Dorothea.
Et juga dura Domûs Fida levare sciens.
Indoleo Tecum! Jubet hoc me Candor, Amorq;:
Et fateor, Cordi vulnera facta Tuo.
Sed dùm facta DEI memori de corde revolvo,
Hoc DORON dico sic repetisse DEUM!
Est DEUS, ergo Bonus! Sunt vulnera, sed tua, Jhova,
Vulnera facta Pio non nocitura DEI.
Percutit hic, sanat, reficit solamine miro,
Qui mirus DEUS est, mirificansq; suos.
Cur igitur luges, TUA quod subtracta periclis,
Naviget in Portu, rideat insidias?
Gratari potius lato decet ore, Marita
Quod subducta SOLO, quodq; potita POLO!

A 3

Mens

Mens equidem meruit concors, pia, casta, pudica,
Et studiosa Tui semper amore Fides,
Longius ut Tecum potuisset vivere vitam;
Sed placitum Domino, Morte præire Tibi.
Ergo modus lachrymis esto! Sit velle Jéhovæ
Velle Tuum. Bonus est, qui facit omne Bonum
Sic Domino placuit. Factum. Manet altera vita
Quæ Te suscipiet, restituetq; Tuæ!
Hanc post hanc miseram Tibi, quam DOROTHEA, vitam,
Possidet, exopto corde favente! Vale.

T. T.

TOBIAS HEERMANNUS, P. B.

Cùm mors non damnum, verùm sit nobile lucrũ,
Cui Christus fuerit gloria, vita, salus:
Ergò quis renuat, quin omni ex parte putandus
Sit felix, Domino in qui sua fata subit.
Nomine quo tandem caelestia regna reportat,
Finiuit postquam morte Marita suam
Vitam, nostrates inter quæ prima maritas,
Quâ probitate tori, quâ pietate chori.
Sit licet, ut querulus resonet per compita lessus,
Et raptam ploret publica, priva domus!

Quod

Quod non culpo quidem, cum sit sua causa doloris,
Et Patri, & gnatis, at nuribusq; suis.
Parcite sed lacrymis, & threnis sistite metam:
Et Matris sortem voluite mente bonam,
Christicolas inter sortem, quam nacta beatam,
Sortem, quæ nullis equiparanda bonis.
Nam rutilas nitidi stellas miratur olympi,
Sub pedibus temnens gaudia falsa soli.
Gaudia quæq; illi, simul ac gratamur honores,
Dum fruitur facie, colloquioq; DEI.
Fortè brevi veniet tempus, quò rursus amantes
Fungemur, retinet quos modò mesta dies.
Indè erit, ut leti pariter vivamus in ævum,
Ante DEI faciem, quod dicit ipse, Amen.

MATTHÆUS SEYLERUS.

EPITHAPHIUM.

CONfulis, en Lector, conjux tellure sub istâ,
Matrona insignis contumulata jacet.
Quã commendabat probitas, pectusq; mode-
Ac σοφῆ in gnatos, sedulitasq; domi. (stū,
Floccipendebat gemmas, vestesq; superbas
Auro, quas sexus talis amare solet.

Sed

Sed pietate DEUM coluit, pietate propinquos,
Inq; pio Christi mansit amore sui.
Hinc Superum cæli mensis adscita beatis
Assidet ac festos nunc agit usq; dies.
Angelicosq; choros inter conviva, potitur
Nectareis vinis, Ambrosiisq; cibus.
Sic quoq; vive DEO, vitâ quicunq; beatâ
Lætitiâq; frui, post tua fata, cupis.

Conscriptum
debiti honoris & condolentiæ
ergo à
PAULO SCHWERDFEGERO.

Uxor ad mœstissimum Maritum.

ERgo dies, & tempus adest, Charissime, luctu
Quo replet viduum flensq; dolensq; torum?
Est durum, firmo constrictos fœdere nexus
Dissolvi, Sociâ destituiq; suâ.
Verùm, quid facias? Domino parere jubemur:
Scilicet hic rectum, quod facit, omne facit.
Parce piis ergo lachrymis, & lumina terge,
Vult pietas justis luctibus esse modum.
Nemo potest mortis ferale evadere naulum:
Illa pari juvenes lege, senesq; rapit.
O quàm multa tuli quondam mala tempore belli!
O quàm me pressit cura molesta domus!
Anxietas, labor, atq; dolor, curæq; frequentes
Morbi lethalis causa fuere mei.

Nunc

Nunc fruor æternâ requie post tanta laborum
Tædia, nunc gaudet mens sine fine mea.
Ecquid me solidâ post tristia multa potitam
Lætitiâ & requie nœnia vana juvat?
Te premet, ut pressit me, cura domestica, soli
Incumbetq; , velut sarcina magna, tibi.
Ne desponde animum: DEUS haud te deseret unquam,
Nec finet ætatem, chare marite, premi.
Tu spem, tu curam jacias fidenter in illum,
Auxilium præsens experiere DEI.
Assolet ille suos variis onerare thyellis,
Atq; inopinatæ ferre salutis opem.
Dum loquor, arcanis properat lux inclÿta fati,
Firmior ut nobis restituatur amor:
Impollutus amor, quem dia Spiritus aura
Ventilet, ut soli serviat usq; DEO.
Intereâ vitæ, Christo duce, perfice cursum,
Intres ut mecum regna beata poli.

Condol. fac.

ANTONIUS Schmidt.

O dolor, ô luctus! tibi ne sævo ungue Maritam
Ex thalamo abripuit mors inimica tuo.
Nec temerè luges, Meritissime Consul, ademptam,
Quando tui tanti causa doloris adest.
Nam sublata tibi certè est pars altera cordis,
Sublata & capitis pulchra corona senis:
Solamen duro in fortunæ evanuit ictu,
Curatrixq; domûs sedula, fida, proba.
Verùm, si spectes solerti & pectore volvas
Uxoris nomen: cujus origo sacra est:

B

Hectore

Hectore cum Sacro mox dextrâ lumine terges
Mærores nimios abjiciesq; tuos:
Placatoq; animo sic linguæ plectrâ movebis:
Mî dedit hancce DEUS, dempsit & hancce DEUS,
Quam regit & Sanctos jam calica in arce Jehovah:
CVI radians honor & gloria Magna slet!

Elias Hânichen / Preb. Sil.

Ad Mœstifs. DN. CONSULEM.

Ὡς τὰς ἀνθρώπους ἐμφυσᾷ ὄξυς ἀήτης,
τῶν μικρῶν ἀλογῶν, τῶν μεγάλων ἀλογῶν;
"Οὕτω καὶ θάναθ' ἔρωτες εἰώθε βιάζειν,
καὶ πλῆτ' ἀμυδίας καὶ πενίης ἀλογῶν.
Γνώριμα ταῦτα ἐπεὶ σοι ὦ ἄνερ ἐστὶν ἄρισε,
τῆς ἀλόχου κλάειν ἔθελε τὸν θάναθον:
Ἡσυχίην μᾶλλον τὴν οἱ δωρήσατο χριστὸς
"Ευχεο ἐκ κραδιῆς ἀθάνατόντε βίον.

Latinè sic:

Mortales veluti aspirat violentior Eurus,
Sint parvi aut grandes, nil rationis habens:
Haut aliter quoq; mors homines invadere sœvit,
Nil curans vel opes vel quoq; pauperiem.
Hæc cùm nota satis Tibi sint, *Amplissime Consul,*
Conjugis. hinc non est, funera acerba fleas:
Quam *Christus* dedit *huic*, potius gratare quietem
Æternæ & vitæ munera cordicitus.

Joh. Wiefnerus, Gorl.

ERgò ne defuncta est Conjux Meritissime CONSUL?
Mortua sit sanè: vivit at ipsa simul.

Mortua

Mortua nimirum terris est corpore: cæli
At sanctos cives Spiritus inter agit.
Humectare genas lachrymarum desinat imber;
Et nimius pectus ne laniato dolor:
Quæ nunc cum foliis autumnii pallida, veris
Æterni hæc eadem flore virescet item.

Augustus Schmiederus.

ET florui quondam: subitò cado
Vi mortis immiti: tegit omnia
Hæc urna vilis membra, condit
Ossa perempta; quiesco, lætor.
Sed lessus auditas quis ad arculam?
Forfan Mariti? fallor an Optumi

Fletu genas fuso rigere
Conspiciam; video dolentem.
Confide, ne luge; Superum fruor
Consortio svavi; gremio jacet
Mens Cælitum felix: quiesce;
Ipsa quiesco, Vale, vigesce.

Martinus Heer, Laubâ Lus.

EN rabidam mortis rabiem! Quod svave Marito
Hâc erat in vitâ, falce rapace secat.
En rabiem! Quæ nil planctus lacrymasq; moratur,
Lumina quæ spargunt, Clare Patrone, Tua.
Nil curat partem Cordis rapuisse Maritam,
Nil & præsidium, dulce decusq; Tuum.
Sed cohibe lacrymas; sic visum namq; Parenti
Summo, qui nostra est spes, via, vita, salus.
Sistite Vos etiam, charissima pignora, fletum:
Sic jussit Dominus; sistite Vos lacrumas.
Quod feritis luctu vestro gaudendo metetis,
Tempore non longo; sistite nunc lacrumas.
Huic scelerum pelago valedixit pressa malorum
Pondere; nunc requiem, nunc bona mille capit.
Vivit in Elysiis hæc campis: dulcia carpit
Gaudia, queis mixtus non dolor ullus erit.


*Johannes Hânisch/ Frid. Siles.
Wenn*

Wenn wir gebührliehen die kurze Lebens Zeit
 Alhier behertzigen / so wird man alsdann innen/
 Das sie gleich wie ein Fluss von hinnen pflegt zurinnen/
 Und länger in der Welt zu leben uns verbeut.
 Sie gleicht dem Gras und Heu so auff den Feldern steht/
 Sie ist wie eine Blum geziert auff grüner Auen/
 Die man mit grosser Lust und Freude pflegt zu schauen/
 Wenn sie der strenge Nord ergreiffet und drüber geht.
 Da fällt die schöne hin: so ist der Menschen Pracht/
 Die auff dem Kund der Welt sehr hoch ist wird gehalten/
 Und kleben doch daran die Jungen sampt den Alten/
 Es fällt in frischen Sand/ sein wird nicht mehr gedacht.
 Wer besser umb sich schaut der find ein Meer der Noth/
 Da Sturm und wilde Fluth mit Ungestüme scheunen/
 Nichts als ein breites Feld da Creuz und Unglück käumen/
 Worauff nichts anders kömpt als der erblaste Todt.
 Drumb wol wer von dem weit hinzu den Sternen fliehet/
 Bald in die Himmels Burg zu seinem Gott versetzet/
 Und mit den Heiligen in Freuden sich ergetzet/
 O wohl euch Selige/ daß ihr zu Gotte zieht.

David Keck / Forstà Lus.

VIta mihi alloquor mœstum Defuncta Maritum
 His verbis. Summus cœli terræq; Monarcha
 Ex hoc me duxit mundi systemate: nec non
 Transtulit in cœli laqueata aurataq; templa:
 In quibus aspicio nullo non tempore summum,
 Cum sanctis Flammis semper laudantibus ipsum.
 A me secessit nunc sæva procella malorum,
 Successit contrà in czlo vis magna bonorum.
 Quid verò lachrymas fundis, dilecte Marite?
 Dic poriu: grates Domino, qui præstitit esse
 Defunctam curis, & in illam transtulit urbem,
 Vincere quam nunquam potis est bellator iniquus.
 Avocor: ergo tibi paucis valedico, Marite.
 Quod reliquum est, vivas feliciter, atq; valet.

Christianus Gracius, Gorl. Lus.



11

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006931 8